Al ch.mo sig.r Cav.e Luigi Passerini
L'Edit.e sempre grato e devotissimo 16

STEPH· ANTONII MORCELLI

ET

PHILIPPI SCHIASSII

DE

# NAPOLEONE MAGNO AVG·

IMP· GALLORVM REGE ITALIAE

DEQVE REBVS AD ITALIAE REGNVM PERTINENTIBVS

INSCRIPTIONES

QVAS MICHAEL FERRVCCIVS

IN VNVM COLLECTAS NVNC PRIMVM EDENDAS CVRAVIT


LVTETIAE PARISIORVM

EXCVDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES ET FILII SOCIIQVE EORVM

INSTITVTI AVGVSTALIS TYPOGRAPHI, VIA IACOB, 56.

ANNO M. DCCC. LVIII.

STEPH· ANTONII MORCELLI

ET

PHILIPPI SCHIASSII

DE

# NAPOLEONE MAGNO AVG·

INSCRIPTIONES

*Mors quum extinxit invidiam, res gestae sempiterna nominis gloria nituntur.*

Cic.

*Nil oriturum alias, nil ortum tale fatemur.*

Hor.

# STEPH· ANTONII MORCELLI

ET

# PHILIPPI SCHIASSII

DE

# NAPOLEONE MAGNO AVG·

## IMP· GALLORVM REGE ITALIAE

DEQVE REBVS AD ITALIAE REGNVM PERTINENTIBVS

## INSCRIPTIONES

QVAS MICHAEL FERRVCCIVS

IN VNVM COLLECTAS NVNC PRIMVM EDENDAS CVRAVIT



LVTETIAE PARISIORVM

EXCVDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES ET FILII SOCIIQVE EORVM

INSTITVTI AVGVSTALIS TYPOGRAPHI, VIA IACOB, 56

ANNO M· DCCC· LVIII

# NAPOLEONI III·

IMPERATORI GALLORVM

PIO FELICI AVGVSTO

MICHAEL FERRVCCIVS

DEVOTVS MAIESTATI SAPIENTIAEQVE EIVS

## IMPERATOR INVICTISSIME

Quod consilium iam inde ab eo die cepi, quo summo ac prope incredibili totius Galliae consensu et mirifica Europae universae comprobatione, dubiis enimvero formidolosisque temporibus, ad amplissimi istius Imperii clavum es admotus; aliis autem atque aliis distentus occupationibus acerbissimisque curis exercitus, adhuc invitus distuli, ut praeclara scilicet latina monumenta, quibus immortalis PATRVI TVI res gestae et in omni memoria inaudita facta celebrantur, uno comprehensa

volumine in lucem proferrem honorique ac maiestati tuae, IMPERATOR SAPIENTISSIME, dicarem, tandem aliquando perficere me posse gaudeo vehementerque laetor. Haec ego non solum humanitate, qua alienas voluntates allicis, partas retines, sed prudentia, perspicacitate, animi altitudine atque excellenti, quod in TE elucet, ingenio fretus, TIBI grata omnino fore ac iucunda confido. Quî enim putem librum hunc non comiter, non benigne a TE exceptum iri, qui quum NAPOLEONIS MAGNI nomine commendetur, TE potissimum, qui ILLVM ut fortuna, sic gloria aequiparasti, intueri, utque TIBI prae ceteris inscribatur, iure quodam suo videtur postulare? Nec minimum sane ponderis ad TE exorandum quum in illustri nostratis utriusque scriptoris fama, tum vero etiam in ipsa latinae linguae magnificentia esse arbitror; quae nempe una gravissimis ac numerose cadentibus verbis egregiorum facinorum splendori ac dignitati quum optime respondeat, ea commemorando ita renovat revocatque, ut tamquam praesentia ante lectorum oculos proponantur. Equidem, ut de me ipse

fatear, quoties hosce titulos diuturno studio a me iampridem conquisitos diligenterque servatos aut perlego aut recito, toties admirabili ac plane Romana magniloquentia commotus, memoriam et imaginem illius temporis, in quod pueritiae nostrae aetas incidit, divina quadam vi menti meae obversari sentio. Quanta mansurae felicitatis spes Italico Regno ex fraterna cum Gallico Imperio consociatione tunc ostentabatur! Vt versa et in meliorem partem mutata singularum civitatum erat facies! Qui civium ad magna et ardua quaeque suscipienda ardor; quae florentissimae iuventutis in militari labore sustinendo alacritas et constantia; qui conatus ad bellicam laudem assequendam; quanta et publice et privatim de meritis honoribus virtuti decretis gratulatio! Vt docti sapientesque viri, quibus rerum publicarum summa commissa fuerat, omne suum studium, omnes cogitationes ad communem utilitatem referebant! Quid vero dicam de viis ad mutua populorum commercia qua apertis, qua munitis; de magnificis tot operibus tam brevi spatio exstructis; de novo sapientissimarum

legum codice ordinato; de iudiciorum aequitate; de lyceis constitutis; de praestantissimis laudandarum omnium disciplinarum bonarumque artium advocatis magistris; de excitata ubique praemiis liberalium doctrinarum cupidine: de cohibita otiosorum desidia; de terrore nocentium naturaque improborum hominum libidini perpetua vigilantia iustisque sontium animadversionibus iniecto? Vigebat in iis opulentissimis Italiae regionibus eximius mos et disciplina; observabantur magistratus: magna inerat legibus vis et auctoritas; nullum incommodum pro patria grave putabatur; poterat virtus sine ulla maiorum commendatione, sine praesidio fortunarum, quo contendisset, sollertia rectisque studiis ascendere; inhaerebat in omnium mentibus temporum optimum quoddam augurium futurorum. Sed tantam spem, tantam exspectationem fatalis praecidit repentina calamitas, quam non quies, ut tunc multi vano futilique indicio autumabant, non tranquillitas, at maximae moles aerumnarum et turbulentissimae tempestates subsequutae sunt; donec ad haec tempora pervenimus, quibus qua

demum ratione civilia tot mala non dicam omnino tolli, sed tantummodo sedari possint, nemo est, quantumvis prudentia acutus et in posterum prospiciens, qui animo praesagire queat. De qua tam inopinata celerique rerum omnium conversione quum mecum recogito, fieri non potest, quin et simul reminiscar insani illius furoris, quo (ut mobiles ubique sunt imperitae multitudinis animi et in subitis casibus fallaci spe fallacibusque assentatorum pollicitationibus impulsi, novitatibus facile favent) clarissima occidentis regni indicia et monumenta, quae passim per urbes celeberrimis locis posita omnique posteritati propaganda conspiciebantur, per summam iniuriam eversa funditus ac deleta sunt; tamquam si nefaria illa demolitione sequentis aevi memoria et conscientia generis humani, ut Taciti tui verbis utar, aboleri potuisset. Quamvis vero pulcherrima laudatorum artificum opera inexpiabili scelere tunc periisse graviter dolendum sit, manserunt tamen publici studii officiique erga NAPOLEONEM MAGNVM locupletissimi testes; tituli nimirum ab incorruptae latinitatis

amatoribus avide descripti, immortalitate quidem dignissimi, quos TIBI modo, ab oblivione hominum atque a silentio vindicatos, qua par est observantia, nempe maxima et defero et nuncupo. Eos partim Steph. Antonius Morcellus, stili, quem in optimis veterum Romanorum inscriptionibus tantopere suspicimus, egregius restitutor; partim Philippus Schiassius, Morcellianae doctrinae adsertor atque aemulus, idemque disciplinae quantulaecumque meae auctor amantissimus, illustre uterque Catholicae Ecclesiae et latinarum litterarum ornamentum ac lumen, nonnullorum ex iis monumentis caussa confecerunt. Historicis inscriptionibus temporarias quum religionis, tum laetitiae gratulationisque publicae ergo ab iisdem scriptoribus conditas, eiusdemque argumenti nobilitate insignes adiungendas duximus: ex his enim, quarum forma ad incitatorum aut gestientium animorum sensus exprimendos liberior plerumque aut solutior esse solet, clarius utique ostenditur quam flagrans fuerit Italicarum civitatum in REGEM SVVM voluntas et quam in ea palam pro rerum amplitudine signifi-

canda Morcellus et Schiassius apte composita ornataque sententiarum concinnitate et vario usi verborum contextu certatim excelluerint. Virorum par, ita vivam, nobilissimum; in quibus profecto hoc vel maxime admirandum est, quod quum inter se in scribendo dissimiles sint, ita tamen uterque eorum scribat, ut, quemadmodum de summis oratoribus Crasso et Antonio recte iudicabat apud Tullium Catulus, ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare quis erit iam, qui invictissimum PATRVVM TVVM vel in hoc fortunatum non fuisse dicat, quod tam integros, tam luculentos laudum suarum praecones invenerit? Quis porro me iure iam reprehendat, qui nihil tua magnitudine sapientiaque, nihil tui solii maiestate deterritus hunc librum TIBI sistere fidenter audeam? TV IPSE ingeniorum iudex aequissimus idemque strenuus domesticae gloriae vindex et ampliator, tuo nomine haud prorsus indignum, ut spero, existimabis. Illud potius TE supplex ad extremum rogabo, ut, quod in hoc officio persolvendo praecipue spectavi, ipsius libri editionem num-

cupationemque velut singularis mei in TE obsequii testimonium respicere ne dedigneris. Quod si praestiteris, ut libro immortale decus a tuo augusto nomine accedet, sic et mihi in hac re optabilius nihil unquam aut honorificentius accidere potuisse arbitrabor.

Dabam Pisis e Bibliotheca Magni Athenaei Etrusci.

III · Nonas Maias anni M · DCCC · LVIII ·

# ORDO

## CAPITVM SINGVLORVM

# MONITVM

Singulis inscriptionibus primam alterutrius auctoris cognominis litteram adposuimus, ut ex ea ipsa littera, ab utro eorum quaeque inscriptio confecta sit, facile agnoscatur.

## CAPVT I·

### INSCRIPTIONES HONORARIAE

---

1° (Brixiae)

# IMP · NEAPOLEONI · P · F · AVG ·

PARTVM · SIBI · ITALIAE · REGNVM

FAVSTIS · OMINIBVS · INCOHANTI

IN · CVIVS · TVTELA · STVDIIS · FLORENTIBVS

VIGENT · INGENIA

ET · IN · AVREI · SAECVLI · DIGNITATEM

RENOVATA · AETAS · ADSVRGIT

COLLEGIVM · ARVALIVM · BRIXIANORVM

CVM · SODALIBVS · VNIVERSIS

DEDICAVERE

VINDICI · DISCIPLINARVM · ATQVE · ARTIVM

I. (Brixiae) [1]

IMP · NEAPOLEONI · P · F · AVG ·

ITALIAE · REGNVM · INEVNTI

CVRATORES

OFFICINAE · LIBRARIAE

PVBLICAE

ACCIPE · FACTORVM · MONVMENTA · AVGVSTA · TVORVM

ATQVE · ANIMVM · MAGNO · IN · PRINCIPE · NOSCE · TVVM

HAVD · ALITER · PROPRIOS · POTVIT · TIBI · BRIXIA · SENSVS

QVAM · DOCTI · VERBIS · PROMERE · CAECILII

PRAETEREA · QVAE · TRAIANO · LAVS · OBTIGIT · VNI

HANC · TIBI · DAT · PLAVDENS · OPTIMVS · ALTER · ERIS

M.

III. (Bononiae)

HONORI

NAPOLEONIS · IMP · GALLORVM · REGIS · ITALIAE

VRBEM · INGREDIENTIS

PORTAM · ORNARI · DEQVE · EIVS · NOMINE · APPELLARI

BONONIENSES · DECREVERVNT

A · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{V}}$ ·

S.

IIII. (Butrii in finib. Bononiae)

IMP · NAPOLEONI · P · F · AVG · REGI

TVTORI · RELIGIONIS

QVOD

AN · MDCCLXXXXVII ·

RERVM · ITALICARVM · VIRTVTE · ET · ARMIS · POTITVS

SVFFRAGANTE · VXORE

COENOBIO · SERVORVM · MARIAE · VIRG ·

IN · INSTANTI · DISCRIMINE · AB · INTERITV · ADSERTO

OPPIDI · N · COMMODO · ET · DIGNITATI · PROSPEXERIT

BVTRIENSES

IMMORTALIS · EIVS · BENEFICII · MEMORES

INDVLGENTISSIMO · PRINCIPI

ANNO · MDCCCV ·

QVO · SINGVLARVM · REGIONVM · ORDINIBVS · ADCLAMANTIBUS

REGNVM · ITALIAE · AVSPICATVS · EST

S.

V. (Brixiae sub protome)

IMP · NEAPOLEONI · P · F · AVG ·

ITALIAE · REGNVM · AVSPICANTI

QVOD · AVCTORITATE · ET · BENEFICENTIA · EIVS

COMMERCIIS · EXPLICATIS · ATQVE · AVCTIS

FELICITAS · PVBLICA

SECVNDVM · POPVLORVM · VOTA

PROVINCIAE · VNIVERSAE

REDDITA · SIT

CORPVS · NEGOTIATORVM · BRIXIANORVM

PRINCIPI · PROVIDENTISSIMO

---

(ad basis latera sub anaglyphis).

VI·

INGENIA · PRAEMIIS · EXCITATA

VII·

AMNES · VECTORIBVS · PACATI

VIII·

RES · GESTAE · POSTERIS · TRADITAE

M.

VIIII· (Brixiae in agro)

IMP · NEAPOLEONI · P · F · AVG ·

OPTIMO · ET · INDVLGENTISSIMO

PRINCIPI

IACOBVS · IVLIVS · PETRVS

FRATRES · FERRARI

HOSPITI · MAGNO

CVI · PRIMA · REGNI · ITALIC

AVSPICIA

DOMI · EORVM · AFFVLSERE

M.

X. (Martinengi in finib. Brixian.)

IMP · NEAPOLEONI · P · F · AVGVSTO

ITALIAE · REGNVM

FAVSTIS · POPVLORVM · OMINIBVS

AVSPICANTI

ORDO · MARTINENG ·

ADSERTORI · LIBERTATIS

QVOD · EX · AVCTORITATE · EIVS

IN · SVMMA · RERVM · CONVERSIONE

AVTONOMIAM

FINITIMIS · ADVERSANTIBVS

CONSERVARIT

M.

xI· (Brixiae)

REGI · NOSTRO

IMP · NAPOLEONI · INVICTO · AVG ·

CONSTITVTORI · REGNOR · ET PROVINCIARVM

CVIVS · VIRTVTE · ATQVE . AVCTORITATE

PAX · ORBI · ADFVLSIT

IVRA · POPVLI · AEQVISSIMA

ACCEPERE

IOSEPHVS · BECCALOSSIVS · COGNITOR · IVDICIORVM

EX · INDVLGENTIA · EIVS .

IN · CVRIA · IVSTITIAE · IMPENSA · SVA · DEDIC ·

M.

XII. (Mediolani)

HOSPITIBVS · MAGNIS

EVGENIO · NAPOLEONI

VICE · SACRA · ITALIAM · ADMINISTRANTI

DYNASTAE · VENETIARVM

SVMMO · SCRIBAE · GALLICI · IMPERII

ET · AVGVSTAE · AMALIAE

REGALI · CONIVGI · EIVS

OPTIMIS · FAVSTISSIMISQVE · PRINCIPIBVS

QVOD · $\overline{III}$ · ID · OCT. · AN · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{VII}$ ·

TRIVVLTIANIS · AEDIBVS · SVCCEDENTES

LOCI · DIGNITATEM · PRAESENTIA · AVXERINT

HIERON · THEODORVS · THEOD · F · TRIVVLTIVS

IN · PERENNEM · MEMORIAM · DEDIC ·

M.

XIII· (Alvisopoli in finib. Venet.)

REGI · NOSTRO

NAPOLEONI · IMP · INVICTO · AVG ·

PARENTI · PVBLICO

CVIVS · AVSPICIIS · VETERES · ITALIAE · VRBES

IN · MAIORVM · LAVDEM · ADSVRGVNT

ALVISOPOLITANI · EX · PALVSTRI · LOCO

NOVA · CIVITAS

FAVSTIS · LIBERALIVM · ARTIVM · INCREMENTIS

EFFLORESCENTES

STATVAM · MAGNITVDINE · INSIGNEM

PETIANVM · OPVS

PRO · CONDITORIS · SVI · ANIMO · STVDIOQVE

DEDICAVERE

RESTITVTORI · AVREI · SAECVLI

M.

XIIII. (Tarvisii)

IMP · NEAPOLEONI · AVG ·

ITALIAM · REGNVMQVE · SVVM · REVISENTI

ORDO · ET · POPVLVS · TARVISINVS

PORTAM · ATTILIANAM

OB · ADVENTVM · EIVS · FAVSTVM · FELICEM

POTIORE · AVSPICIO · NEAPOLEONIAM

APPELLANTES · DEDICAVERE

M

XV. (Claris)

IMP · REGI · N · MAGNO · NAPOLEONI · P · F · AVG ·

ET · MARIAE · AVG · F · ALOISIAE · AVSTRIADI

SPONSIS · BEATISSIMIS

SIGNIFICATIONE · COELESTI · DESIGNATIS

QVORVM · CONVBIO · PAX · EVROPAE · ADFVLSIT

LAETITIA · FAVSTITAS · GLORIA

ITALIAE · OBVENERE

ORDO · ET · POPVLVS · CLARENSIS

AVSPICIBVS · PVBLICAE · SECVRITATIS

DEDIC ·
KAL · AVG ·

ANNO
M · DCCC · X ·

M.

XVI. (Mediolani)

REGINAE · MARIAE · AVG · F · ALOISIAE · AVSTRIADI

VXSORI · D · N · IMP · REGIS · NAPOLEONIS · AVG ·

MATRI · CASTRORVM

TVRMAE · ITALICAE · VIANI

DEVOTAE · MAIESTATI · VIRTVTIQVE · EIVS

M.

XVII. (Claris)

REGI · NOVENSILI · ROMVLIDARVM

NAPOLEONI

NAPOLEONIS · MAGNI · P · F · AVG · FILIO

SECVNDVM · VOTA · POPVLORVM

AD · RELIGIONIS · REIQ · PVBLICAE · INCREMENTA

DIVINITVS · DATO

CLARENSES

AVSPICI · ITALICAE · SECVRITATIS

M.

XVIII · (Corregii)

EX · AVCTORITATE

IMP · REGIS

NAPOLEONIS · MAGNI

TVTORIS · BONARVM · ARTIVM

SIGNVM

ANTONII · ALLEGRII

PICTORIS · PRAECELLENTISSIMI

CORREGIENSES

HONORI · CIVIS · SVI

QVI · PATRIAE · GLORIAM

IN · AEVVM · PROPAGAVIT

PECVNIA · EX · AERARIO · REGIO · IMPETRATA

ET · COLLATITIA · MVNICIPVM

DEDICAVERE · A · MDCCCXII ·

S.

# CAPVT II·

## INSCRIPTIONES HISTORICAE

### § · I ·

#### FASTI

XVIIII · (Brixiae)

QVOD · DVCIBVS · FORTISSIMIS

EXERCITIBVSQVE · GALLICO · ITALICOQVE

INVICTIS · FELICIBVS · BENE · VERTAT

ANNO · $\overline{\text{M · DCCC · I}}$ ·

REDVCEM · PACEM · LAETA · LIBENS · BRIXIA · RECEPIT

PARTAMQVE · GALLIS · AVSPICIBVS · LIBERTATEM

POPVLO · VNIVERSO · ITERVM · GRATVLATA

PERPETVAM · SIBI · ET · REI · PVBLICAE

A · DEO · AVCTORE · ADPRECATVR

M.

XX. (Bononiae in aedibus Lycei Magni)

COLLEGIVM · $\overline{\text{LX}}$ · VIRORVM

DISCIPLINIS · ET · ARTIBVS · CONFORMANDIS

EX · DECR · PRAES · R · P · BONONIAE · CONSTITVTVM

IN · AEDES · HASCE · COETIBVS · AGENDIS

CONSENSV · MVNICIPVM · ADTRIBVTAS

PRIMVM · CONVENIT · $\overline{\text{VI}}$ · ID · IAN · A · $\overline{\text{MDCCCIII}}$ ·

CVIVS · DIEI · MEMORIAM

CVRATORES · REGIONIS · RHENANAE

POSTERIS · TRADENDAM · CENSVERE

S.

XXI° (Bononiae)

# FASTI REGNI ITALICI [3]

NAPOLEO · IMP · EXERCITVS · GALLICI · IN · ITALIAM A · MDCCXCVI ·
TENDENTIS · SARDOS · ET · AVSTRIACOS · AD · MONTEM EX · V · ID · APR
NOCTEM · FVNDIT · SVPER · VIRTVTEM · HOSTIVM AD · IIII · K · MAIAS
LOCORVM · QVOQVE · DIFFICVLTATES · ELVCTATVS
ADITVM · IN · ITALIAM · PATEFACIT · QVATRIDVO
PRAELIIS · AD · MILLESIMVM · CEBAM · MONTEM · VICI
COMMISSIS · HOSTES · NVMERO · PLVSQVAM · DVPLO
COPIIS · SVIS · MAIORES · DISTERMINAT · AVSTRIACOS
AD · RECESSVM · IN · INSVBRIAM · REGEM · SARDINIAE
AD · PACEM · COMPELLIT · REBVS · CVNCTIS · LABORANTEM
EXERCITVM · ARMIS · OMNIQVE · COMMEATV · ADORNAT
PADO · AD · PLACENTIAM · TRAIECTO · AVSTRIACOS · AD EX · NON · MAIAS
FOMBIVM · ET · COTONEVM · OBNITENTES · EVERTIT AD · III · K · IVN
AD · LAVDEM · POMPEIAM · CONTRA · VEHEMENTISSIMAM
PROPVGNATIONEM · PONTEM · PRIMVS · OMNIVM
ADGRESSVS · HOSTEM · MAGNO · PRAELIO · VINCIT
CREMONA · FORO · DIVGVNTORVM · TICINO · MEDIOLANO
IN · POTESTATEM · REDACTIS
DVCI · MVTINENSIVM · INDVCIAS · CONCEDIT · RELIQVIAS
EXERCITVS · PERCVLSI · TRANS · MINCIVM · COLLECTAS
AD · BORGHETTVM · CVM · CLADE · PROFLIGAT
PISCARIAM · ET · VERONAM · CAPIT · MANTVAM
OBSIDIONE · CINGIT
BONONIA · ET · FERRARIA · OCCVPATIS · CVM · PONTIFICE

MAXIMO · INDVCIAS FACIT · ARCEM · MEDIOLANENSEM SVBIGIT

EX · V̄ · K · AVG · AD · XV · K · SEPT ·

HOSTEM · NOVIS · FIDENTEM · VIRIBVS · LACESSITVM ADFLICTVMQVE · CONTINENTIBVS · PRAELIIS · AD DESENZANVM · SALODIVM · LONATVM · CASTILIONEM PISCARIAM · CONTVNDIT · DIEBVS · DECEM · ADSIDVE PVGNATVM · CAPTIS · CAESIS · FVSIS · HOMINVM MILLIBVS · $\overline{\text{XXV}}$ · IN · NORICVM · AVSTRIACI · REPVLSI

IIDEM · REGRESSI · IRRITISQVE · CONATIBVS · NIHIL DETERRITI · AD · ROBORETVM · BASSANVM · MANTVAM MAGNA · CLADE · MVLCTANTVR · RELIQVA · EX FLORENTISSIMO · EXERCITV · VIX · QVINQVE · HOMINVM MILLIA · IN · ARCEM · MANTVANAM · CONFVGIVNT

BONONIENSES · NOVA · SIBI · IVRA · CONDVNT . FOEDVSQVE CVM · MVTINENSIBVS · REGIENSIBVS · FERRARIENSIBVS INEVNT · EI · FOEDERI · CISPADANA · RESPVBLICA NOMEN · FACTVM

EX · XV̄ · K · DEC · AD · TRID · K · IAN ·

AVXILIIS · E · CVNCTA · GERMANIA · SVBMISSIS · AD ARCOLEM · DECERTATVM · EXARDENTE · PRAELIO NAPOLEO · VEXILLVM · E · MANV · SIGNIFERI · ARREPTVM CVNCTANTIBVS · MILITIBVS · EXTOLLENS · PONTEM INGENTI · VI · TORMENTORVM · PROPVGNATVM · AVSV LAVDENSI · RENOVATO · PRIMVS · TENET · SAVCIATA CONCISA · CAPTA · AD · $\overline{\text{VIII}}$ · MILLIA

HOSTIS · TERTIO · CONSCRIPTO · EXERCITV · CONGREDITVR EADEM · FORTVNA · VELITATIONIBVS · SEX · ET PRAELIIS · DVOBVS · PERFRINGITVR · MANTVA · SPE VNDIQVE · AVXILII · ABSCISSA · VICTORI · DEDITVR

TOLENTINI · CVM · PONT · MAX · PACE · PACTA · AEMILIA A · MDCCXCVII
PARS · FIT · REIPVBLICAE · CISPADANAE · AB · HAC EX · PRID · ID · FEBR
MVTINENSES · ET · REGIENSES · DEDVCTI · CVM AD · VI · K · AVG ·
INSVBRIBVS · OROBIIS · CENOMANIS · IN · NOVAM
REMPVBLICAM · COALESCVNT · CISALPINAM · NOMINE
HVIC · RESPVBLICA · CISPADANA · MOX · ADIVNGITVR

ABSENTE · NAPOLEONE · RES · PESSVM · ACTAE · IS A · MDCCC
LVTETIA · PARISIORVM · CONSVL · PRIMVS · FACTVS EX · VIII · K · IVN
ADVOLAT · CVM · FORTISSIMO · EXERCITV · ALPES AD · XVII · K · IVL
PENNINAS · PER · NIVES · ET · PRAERVPTA · SVPERAT
ARCIBVS · BARDO · ET · EPOREDIA · EXPVGNATIS
IN · ITALIAM · ARMIS · AVSTRIACORVM · SVBACTAM
IRRVMPIT · CONTINENTE · BELLI · IMPETV · MEDIOLANVM
PETIT · HOSTIVM · VIRES VALIDISSIMAS · OPPORTVNIS
SITAS · LOCIS · PERSTRINGIT EXTVRBAT · MEMORABILI
PRAELIO · AD · MARENGVM · DELET · OPPIDIS · XII ·
VNO · DIE · AD · DEDITIONEM · COACTIS · ITALIAM
RECVPERAT

PRIMORES · CISALPINI · A · NAPOLEONE · LVGDVNVM A · MDCCCII ·
AD · COMITIA · ACCERSITI · RESPVBLICA · CERTO EX · VII · K · FEBR
IVRE · COMPOSITA · ITALICA · NVNCVPATA · NAPOLEO AD · PRID · N · SEPT
AB · VNIVERSO · CONVENTV · PRAESES · CONCLAMATVS

COLLEGIVM · LX · VIRORVM · DISCIPLINIS · ET · ARTIBVS
CONFORMANDIS · CONDITVM · ARCHIGYMNASIA
BONONIENSE · ET · TICINENSE · RESTITVTA · BONIS
ARTIBVS · PERDISCENDIS · EXCOLENDIS · MEDIOLANI
ET · BONONIAE · COLLEGIA · RENOVATA · SCHOLAE
MAGISTRIS · PRAEMIIS INSTRVCTAE

A · MDCCCV · EX · XVI · K · APR · AD · VI · K · IAN ·

REGNVM · ITALICVM · FVNDATVR · NAPOLEO · IMPERATOR GALLORVM · PRIDEM · RENVNCIATVS · OBLATA · REGIS INSIGNIA · MEDIOLANI · POPVLIS · GESTIENTIBVS VOLENS · LIBENS · CAPESSIT · EVGENIVM · PRIVIGNVM PROREGEM · CREAT

IMPP · FRANCISCO · ET · ALEXANDRO · NOVVM · RERVM ORDINEM · ABNVENTIBVS · BELLVMQVE · IN · GERMANIA ATQVE · ITALIA · ICTO · FOEDERE · APPARANTIBVS OCCVRRIT · IIS · CLADE · INGENTI · AD · AVSTERLITZIVM DEVICTIS · ALEXANDRVM · DETRVDIT · FRANCISCO PACEM · IMPERAT · PROVINCIAM · VENETORVM · REGNO ADIICIT

A · MDCCCVI · EX · KAL · AD · POSTRID · ID · IAN ·

EVGENIVM · SIBI · FILIVM · ADOPTAT · ET · SVO · NOMINE AVGET · EIVS · CONIVGIVM · CVM · AVGVSTA · REGIS BAVARIAE · MAXIMILIANI · F · CONCILIAT · SOLLEMNIA NVPTIARVM · MONACHII · CELEBRATA · INLVSTRAT PRAESENTIA · SVA · POPVLOS · ERIGIT · IN · SPEM FELICITATIS · PERPETVAE

S.

XXII · (Tarvisii)

IVSSV · AVSPICIISQVE

EVGENII · NAPOLEONIS

NAPOLEONIS · MAGNI · AVG · F ·

VICE · SACRA · REGNVM · ADMINISTRANTIS

PROVIDENTISSIMI · PRINCIPIS

LYCEVM · REGIVM

INTER · FAVSTAS · ADCLAMATIONES

VNIVERSAE · REGIONIS · TILAVENTANAE

KAL · DECEMBR · A · $\overline{\text{MDCCCIII}}$ ·

RITE · INAVGVRATVM · DEDICATVMQVE · EST

AB · ANT · SCOPOLO · EQ · PRAEF · VRB ·

ET · IOAN · BAPT · MARZARIO · DOCTORE · PHYSICES · RECTORE · LYCEI

CVIVS · AVSPICATISSIMI · DIEI · MEMORIAM

MARMORI · CONSIGNATAM

DOCTORES · LYCEI · EIVSDEM

CAROLO · DELMAINO · PRAEF · VRB ·

ANNO · PROXIMO · INSEQVENTE

POSTERITATI · COMMENDANDAM · CVRAVERVNT

S.

XXIII · (Bononiae)

CASSINVS · IIII ·

PRAEF · TVRRIS · SPECVLATORIAE . PARISIENS ·

ARCHETYPON

STATVAE · MARMOREAE · MOITTIANAE

IOAN · DOMINICO · CASSINO

ASTRONOMO · AETATIS · SVAE · PRIMO

PROAVO

IN · EADEM · TVRRI

IVSSV

IMP · NAPOLEONIS · AVG ·

POSITAE

LYCEO · MAGNO · BONONIENSI

MAGISTERIO · EIVS

ET · MOLIMINE · GNOMONIS · NOBILISSIMI

INLVSTRATO

DONVM · DEDIT

A · MDCCCXI ·

S.

XXIIII · (Mutinae)

OPVS

ANTONII · BEGARELLII

PLASTAE · SVI · TEMPORIS · PRIMI

EX · COENOBIO · QVOD · FVIT · AD · CAECILIAE · VIRG · MART ·

VTI · SCHOLAE · ORNAMENTVM

CVLTORIBVS · BONARVM · ARTIVM · EXEMPLAR · SIET

INLATVM · A · $\overline{\text{MDCCCXII}}$ ·

IMP · REGE · NAPOLEONE · MAGNO

HIERONYMO · TADINIO · OLDOFREDIO · PRAEF · VRBIS

AVCTORE

ALOISIO · VACCARIO · COM ·

PRAEP · NEGOTIIS · REGNI · INTERIORIB ·

CIVE · NOSTRO

S.

## § · II ·

### INSCRIPTIONES OPERVM PVBLICORVM

xxv. (In summa via per Alpes Penninas aperta incidenda erat

IVSSV · AVSPICIOQVE

IMP · NEAPOLEONIS · P · F · AVGVSTI

QVO · AVCTORE · CONSOCIATA · GALLIIS

ITALIA · REVIXIT

VIA · AVGVSTA · MILITARIS

A · FONTIBVS · TICINI · AD · ALGABIOS

AVSV · NOVO · PER · ALPES · PENNINVMQVE · IVGVM

VERTICIBVS · MONTIVM · DEIECTIS

VALLIBVS · AEQVATIS · RVPIBVS · PERFOSSIS

PONTIBVS · AMNIVM · ALTITVDINI · IMPOSITIS

INTRA · BIENNIVM

IMPENSIS · REIPVBLICAE

APERTA

AGGERIBVS · ET · SVBSTRAMINIBVS

MVNITA · EST

MELTIO · VICE · SACRA · FVNGENTE

M.

XXVI · (Castilione Pepulor. in fin. Bonon.)

IMP · NAPOLEONE · AVG ·

REGE · ITALIAE

ORDO · POPVLVSQVE · CASTILIONENSIS

CVRANTE

IOSEPHO · COSSARINIO · SYNDICO · MVNICIPII

PONTEM · EXTRVXIT · A · MDCCCVII ·

S.

XXVII · (Brixiae)

HONORI

D · N · IMP · NAPOLEONIS · P · F · AVG ·

CONSTITVTORIS · REGNORVM · ET · PROVINCIARVM

EVGENIO · NAPOLEONE · AVG ·

VICE · SACRA · PER · ITALIAM · FVNGENTE

ORDO · ET · POPVLVS · BRIXIANVS

DEVOTI · MAIESTATI · INVICTISSIMI PRINCIPIS

THEATRVM · IVRE · SPECTANTIVM · IMPENSA

AB · INCOHATO · EXTRVCTVM

LAETITIAE · PVBLICAE · CAVSSA

DEDICAVERVNT

M.

XXXIII · (Bononiae)

CONIVGIO · AVGVSTO

IMP · REGIS · N ·

NAPOLEONIS · MAGNI

ET · MARIAE · ALOISIAE

IMP · FRANCISCI · F ·

NATIONIBVS · ADCLAMANTIBVS

RENVNCIATO

ORDO · POPVLVSQVE · BONONIENSIS

QVOD

PROVIDENTISSIMVS · PRINCEPS

AGROS · VECTIGALES · AQVIS · COERCENDIS

FENORE · VETERE · LIBERANDOS

RHENVM · IN · PADVM · IMMITTENDVM

VIRIDARIVM · AMBVLATIONI · CIVIVM · APPARANDVM

DISCIPLINAS · ET · ARTES

FVNDORVM · ADSIGNATIONE AVGENDAS

DECREVERIT

TANTORVM · BENEFICIORVM · MEMORIAM

MARMORI · INSCVLPTAM

POSTERITATI · CONSIGNANDAM · CVRAVERVNT

ANNO · $\overline{\text{MDCCCX}}$ ·

S.

XXVIIII · (Guidittolis in finib. Mantuan.)

HONORI

REGIS · ROMVLIDARVM

NAPOLEONIS · PORPHYROGENITAE

$\overline{V}$ · NON · IVN · AN . $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{XI}$ ·

IN · ECCLESIA · RITE · RECEPTI

FORVM · ET · VIAE · INTERIORES

SILICE · P · P · STRATAE

AVCTORE · MICHAELE · VISMARA · PRAEFECTO · TRACTVS · MINC ·

CVRATORIBVS

IOAN · BAPT · FANTOLINIO · SYNDICO

FRANCISCO · MVTIO<br>
FRANCISCO · PERAMO } SENIORIBVS

M.

XXX. (Bononiae pro lapide primo ad fundam. porticus a Coemet. ad porticum Mariae Lucanae)

BENEDICTVS · CONVENTIVS

PRIMICERIVS · BASILICAE · PETRONIANAE

ANTISTES · VICE · SACRA · ARCHIEPISCOPI · N ·

ADSTANTIBVS

ALOISIO · QVIRINO · STAMPALIA · EQ ·

A · CONSILIIS · REGIS

EX · PRIMORIBVS · REGNI · ITALICI

PRAEF · REGIONIS · RHENANAE

ET · CAESARE · BIANCHETTO · EQ ·

CVBICVLARIO · REGIS

EX · PRIMORIBVS · REGNI · ITALICI

PRAEPOSITO · MVNICIPII

ET · $\overline{\text{VI}}$ · VIRIS · COLLEGIS · EIVS

LAPIDEM · AVSPICALEM · PORTICVS

PECVNIA · COLLATITIA · PIORVM · CIVIVM

EXTRVENDAE

SOLLEMNIBVS · CAEREMONIIS · STATVIT

$\overline{\text{XVI}}$ · KAL · OCT · A · $\overline{\text{MDCCCXI}}$ ·

S.

XXXI · (Mutinae)

REGE · N · IMP · NAPOLEONE · P · F · AVG ·

EVGENIO · NAP · F · VICE · SACRA · ITALIAM · REGENTE

ALOISIO . VACCARIO · COM · CIVE · MVTINENSI

MODERATORE · MVNERVM · PVBLICORVM

DOMVS · PLEBI · EXERCENDAE · TVTANDAE

QVAE·TEMPORVM·ANGVSTIIS·INTERCLVSA·HOSPITIVM·ABNVEBAT

RESCRIPTO · PRINCIPIS · E · CASTRIS · SARMATICIS · DATO

RVRSVM · PER · TADINIVM OLDOFREDVM · PRAEF · VRB ·

PRAESIDEM · $\overline{\text{VI}}$ · VIRVM · REI · SVBSIDIARIAE · ADMINISTRANDAE

KAL · IVL · AN · $\overline{\text{M}}$ · $\overline{\text{DCCC}}$ · $\overline{\text{XII}}$ ·

REDITIBVS · IN · POSTERVM · ORDINATIS

APERTA · ET · OMNI · ARTIFICIO · CELEBRATA · EST

M.

XXXII · (Vrbini)

EX · AVCTORITATE

IMP · REGIS · NAPOLEONIS · MAGNI

FRONS · HORTI · PLANTARVM · EXOTICARVM

IMPENSIS · MVNICIPII · ET · LYCEI

EXAEDIFICATA · EST · A · MDCCCVIII ·

PROBANTE

IOAN · ANTONIO · SCOPOLO · COM ·

SVMMO · PRAEFECTO · STVDIORVM

QVI · ET · HORTVM · FACIVNDVM · CVRAVERAT

S.

XXXII · (Brixiae) [3]

STO · ARMA · GERO · FELIX · BRIXIA

IMMOBILI · FIDE · PRO · REGE · N · AVG ·

ET · PLAVDO · A · DIE · FAVSTISSIMO · DED ·

VI · KAL · IVN · AN · M · DCCC · XIII ·

M.

XXXIII · (Centi in finib. Bononiae)

EX · AVCTORITATE

IMP · REGIS · NAPOLEONIS · AVG ·

PROVIDENTISSIMI · PRINCIPIS

IVSSV

EVGENII · NAPOLEONIS

VICE · SACRA · ITALIAM · ADMINISTRANTIS

CVRAM · AGENTE

ALOISIO · VACCARIO · COM · EQ · TORQ ·

PRAEP · NEGOTIIS · REGNI · INTERIORIB ·

CONSVLTANTIBVS

ANTONIO · COSSONIO · EQ · COM ·

A · CONSILIIS · PVB ·

SVMMO · CVRATORE · AQVAR · ET · VIAR ·

ALOISIO · QVIRINO · STAMPALIA · EQ ·

EX · PRIMORIB · REGNI · A · CONSILIIS · PVB ·

PRAEF · REGIONIS

IVLIO · CAESARE · DONDINIO

PRAEP · MVNICIPII

RHENVS · AMNIS

AGGERE · ITERVM · PERRVPTO

IN · PERNICIEM · INCOLARVM · EXVNDANS

INGENIO · ATQVE · OPERA

ANTONII · ASSALINII

DOMO · REGIO · LEPIDI

VI · VIRI · AQVAR · ET · VIAR · CVRANDAR ·

VRBE · SVI · PERICVLO · SERVATA

PONTE · SVBLICIO · RAPTIM · AD · EFFVGIVM · EXTRVCTO

INTRA · RIPAS · NOVA · MOLITIONE · COERCITVS · EST

A · MDCCCXIII ·

CVIVS · REI · MEMORIAM

CENTENSES

MARMORI · INSCVLPTAM · IN · POSTEROS · PROROGANDAM

CENSVERVNT

S.

XXXV. (Bononiae)

ANNO · $\overline{M}$ · $\overline{DCCC}$ · $\overline{XIII}$ ·

EVGENIO · NAPOLEONE · AVG · F ·

VICE · SACRA · ITALIAM · ADMINISTRANTE

ALOISIVS · QVIRINVS · STAMPALIA · EQ ·

EX · PRIMORIB · REGNI · A · CONSILIIS · PVB ·

PRAEF · REGIONIS

TABVLARIVM · PRAEFECTVRAE

INLATIS · CODICIBVS · ACTORVM

CARDD · LEGATOR · PP · MM · ET · SENATVS · BONONIENSIS

ET · MAGISTRATVVM · QVI · POST · GALLOS · RERVM · POTITOS

REM · PVBLICAM · GESSERVNT

CONSTITVENDVM · ORDINANDVMQVE · CVRAVIT

S.

# CAPVT III ·

## INSCRIPTIONES TEMPORARIAE

---

### § · I ·

### INSCRIPTIONES RELIGIONIS VOTORVMQVE CAVSSA

XXXVI · (Claris)

REGINAE · REGVM · FILIORVM · REGVM

MARIAE · SANCTAE · ADIVTRICI

VOTO · SVSCEPTO

PRO · ITV · ET · REDITV · FAVSTO · FELICI

IMP · NEAPOLEONIS · AVGVSTI

REGIS · NOSTRI · INDVLGENTISSIMI

ORDO · ET · POPVLVS · CLARENSIS

M.

XXXVII · (Claris)

DEVS · OPTIME · MAXIME

BENEFICIIS · TVIS · FAVETO

ET · TANTIS · MVNERIBVS

ADDE · PERPETVITATEM

VNVM · OMNIVM · VOTVM · EST

SALVS · PRINCIPIS

M

XXXVII · (Bononiae in fronte templi Iacobiani)

DEO · OMNIPOTENTI · AETERNO

OB · PACEM · GERMANICAM

IMP · NAPOLEONIS · AVG ·

TRIVMPHIS · PARTAM

ET · NVPTIAS

EVGENII · NAPOLEONIS

PROREGIS · N ·

CVM · AVGVSTA · AMALIA

MAXIMILIANI · REGIS · BAVARIAE · F ·

CELEBRATAS

DOCTORES · ARCHIGYMNASII · BONONIENSIS

SOLLEMNIA · GRATIARVM

S.

XXXVIII · (ibidem ad aram maximam)

DEO

AVCTORI · PACIS

CONSERVATORI · REGNORVM

S.

xxxx · (Claris)

SANCTAE · DEI · GENETRICI

OB · ADVENTVM · FAVSTVM · FELICEM

EVGENII · NEAPOLEONIS · PRINCIPIS · SERENISSIMI

ET · AVGVSTAE · REGIAE · CONIVGIS · EIVS

VICE · SACRA · REGNANTIVM

VOTA · ORDINIS · ET · POPVLI . CLARENSIS

PRO · INCOLVMITATE · EORVM

ET · GLORIA · ITALIAE · RENASCENTIS

M.

XXXXI · (Bononiae ad aedem Metropolitanam)

DEO · MAGNO · AETERNO

BELLORVM · POTENTI · PACIFERO

QVOD

IMP · REX

NAPOLEO · AVGVSTVS

PRAELIIS

AD · BVRGOS · ESPINOSAM · TVDELAM · SOMOSIERRAM

COMMISSIS

RODA · CAPTA · MADRITO · OCCVPATO

PACEM · HISPANIIS · IMPERAVERIT

CAROLVS · OPPIZZONIVS · CARD · ARCHIEP ·

SOLLEMNIA · GRATIARVM

S.

XXXXII · (Bononiae ad Basilicam Petronianam)

DEO · OPTIMO · MAXIMO

TRIVMPHATORI · PACATORI

QVOD

IMP · GALLOR · REX · ITALIAE

NAPOLEO · MAGNVS

PACEM · VICTORIIS · PARTAM

CVM · IMP · FRANCISCO · PEPIGERIT

ORDO · POPVLVSQVE · BONONIENSIS

SOLLEMNIA · GRATIARVM

S.

xxxxiiI · (Brixiae ad templ. max.)

SOSPITATORI · MORTALIVM

DEO · FILIO

AD · CAELESTIA · REDEVNTI

SACRA · SOLLEMNIA

ORDINIS · POPVLIQVE · BRIXIANI

GRATIARVM · AGENDARVM · CAVSSA

QVOD · NVMINE · EIVS

IMP · NAPOLEO · P · F · AVG ·

ITALIAE · REX · DATVS

ET · REGINAE · MARIAE · AVG · F · ALOISIAE · AVSTR ·

CONVBIO · BEATISSIMO · AVCTVS

GESTIENTIVM · POPVLORVM · VOTA · COMPLEVERIT

M

XXXXIIII · (Mediolani frustra)

OB · ADVENTVM · FAVSTVM · FELICEM

DD · NN ·

IMP · REGIS · NAPOLEONIS · AVG ·

ET · MARIAE · AVG · F · ALOISIAE · AVSTRIADIS

CONIVGVM · BEATISSIMORVM

VOTA

TVRMARVM · ITALICARVM · VIANI

M.

xxxxv (Centi in finib. Bononiae)

DEO · AETERNO · SOSPITATORI

QVOD

NAPOLEO · NAPOLEONIS · AVG · F ·

REX · ROMAE

BAPTISMATE · SANCTO · RITE · SIT · ABLVTVS

ORDO · POPVLVSQVE · CENTENSIS

SACRA · SOLLEMNIA

LIBENTES · MERITO

S.

XXXXVI · (Brixiae ad templ. max.)

NVMINI · AETERNO · SANCTO

QVO · DIE · IN · PROCERES · ECCLESIAE · SVAE

FLAMMAS · DIVINAS · EFFVDIT

VOTA · CIVITATIS · BRIXIANAE

PRO · PERENNITATE · IMPERI

ET · FAVSTITATE · ITALIAE · VNIVERSAE

QVOD · EODEM · DIE

REX · ROMVLIDARVM · NAPOLEO

NAPOLEONIS · MAGNI · FILIVS

DONIS · CAELESTIBVS · AVCTVS

LVTETIAE · PARISIORVM · AVSPICATISSIMO · INITIO

PER · SOLLEMNES · CAEREMONIAS

IN · RELIGIONIS · SANCTISSIMAE · AMPLEXVM

SVSCEPTVS · EST

M.

## § · II ·

### INSCRIPTIONES AD FESTOS APPARATVS ATQVE POMPAS

XXXXVII · (Claris ad portam)

IMP · NEAPOLEONI · PIO · FELICI · AVGVSTO

PARTVM · SIBI · ITALIAE · REGNVM

FAVSTIS · POPVLORVM · OMINIBVS · OBEVNTI

CLARENSES

REGIS · OPTIMI · CONSPECTVM · IVCVNDISSIMVM

PRAESTOLANTES · EXORNAVERE

M.

XXXXVIII · (in finib. Brixian. in arcu)

IMP · NEAPOLEONI · PIO · FELICI · AVGVSTO

REGI · CLEMENTISSIMO

MAXIMO

VRADIENSES · OLLIENSES

PRIMO · EIVS · ADVENTV · LAETI

GESTIENTESQVE · PROPERAVERE

M.

XXXXVIIII · (Brixiae)

OB · ADVENTVM

IMP · NEAPOLEONIS · P · F · AVG ·

CVIVS · AVCTORITAS · LYCEO · MAGNO · EXORDIVM · ATTVLIT

PRAESENTIA · DIGNITATEM · AVCTVRA · EST

DECVRIA · DOCTORVM · CVM · AVDITORIBVS · VNIVERSIS

REGI · SAPIENTISSIMO · MAXIMO

FAVSTA · OMNIA · ADPRECANTES · EXORNAVERVNT

M.

I. * (Brixiae in theatro)

SALVE

NEAPOLEO · AVGVSTE

HILARITAS · POPVLI · BRIXIANI

TE · REGE

PATRIA · EXVLTANS

ADCLAMAT · PARENTI · PVBLICO

M.

LI · (Bononiae in arcu)

AGE · AGE

IMPERATOR · REX · MAGNE

NAPOLEO

TIBI · MVSICIS · MODIS

TIBI · FAVSTIS · ADCLAMATIONIBVS

PRAESENTIA · TVA · EXHILARATI

LAETA · ET · PROSPERA · CVNCTA · OMINAMVR

VALEAS · VINCAS

TOTI · ORBI · IMPERES

BELLI · PACISQVE · POTENS

S.

LII · (Bononiae in arcu)

VIRTVTE · ET · ARMIS

NAPOLEONIS · AVG ·

SECVRITAS

ET · GLORIA

RESTITVTAE

S.

LIII · (ibidem)

LIBERALITATE

OPTIMI · PRINCIPIS

DISCIPLINAE

ET · ARTES

ERECTAE

S.

LIIII · (Bononiae in pegmate)

SARDIS · ET · AVSTRIACIS

AD · MONTEM · NOCTEM · PROFLIGATIS

ITALIA · RENATA

S.

LV. (ibidem)

HOSTIBVS · AD · MARENGVM · FVSIS

SECVRITAS · PERP · ADSERTA

S.

LVI · (ibidem)

INSVBRIA · ET · AEMILIA

CONSOCIATIS

VIRES · RESTITVTAE

S.

LVII · (ibidem)

PRAEMIIS · ADSIGNATIS

DISCIPLINAE · ET · ARTES · ADAVCTAE

S.

LVIII · (Bononiae in pegmate)

REGNO · FVNDATO

TVTELA · POPVLORVM · CONSTITVTA

S.

LVIIII · (ibidem)

PACE · GERMANICA · IMPERATA

FINES · REGNI

PROLATI

S.

LX. (ibidem)

EVGENIO · NAPOLEONE · ET · AVGVSTA · AMALIA

CONVBIO · IVNCTIS

FELICITAS · PVB · PROPAGATA

S.

LXI · (in finib. Brixian.)

PRINCIPIBVS · SERENISSIMIS

EVGENIO · NEAPOLEONI · ET · AVGVSTAE

REGIAE · CONIVGI · EIVS

VICE · SACRA · REGNANTIBVS

VRADIENSES · OLLIENSES

OB · ADVENTVM · EORVM · FAVSTISSIMVM

GRATVLANTES

M.

LXII · (Bononiae in fronte aedium Lycei magni)

AGE · INDVLGENTISSIME · PRINCEPS

LAETVS · HIC · DOCTORVM

HIC · DISCIPVLORVM · CHORVS

TIBI · PLAVDIT · TIBI · PRODIT · OBVIAM

EVGENI

PROREX · NOSTER

BONO · LITTERARVM · NATE

AGE · HVIC · DISCIPLINARVM · SEDI

QVAM

NAPOLEO · AVG ·

PATER · TVVS

MAIESTATE · SVA · IMPLEVIT

LIBENS · IAM · ET · PROPITIVS · SVCCEDE

TV · NOVVM · DECVS · ET · PRAESIDIVM

ARCHIGYMNASII · BONONIENSIS

S.

LXIII · (Brixiae)

OB · FAVSTITATEM · CONIVGI · BEATISSIMI

DD · NN ·

IMP · REGIS · NAPOLEONIS · P · F · AVG ·

ET · MARIAE · AVG · F · ALOISIAE · AVSTRIADIS

AVCTORI · DEO · GRATIAS · ACTVRI

DOCTORES · AVDITORESQVE · LYCEI · MAGNI

EXORNAVERE

· M.

LXIII · (Brixiae)

QVOD · FELIX · FAVSTVM · FORTVNATVMQVE · SIT

NVPTIIS · REGALIBVS · ORBI · TERRARVM · RENVNCIATIS

DD · NN · IMP · REGIS · NAPOLEONIS · P · F · AVG ·

ET · MARIAE · AVG · F · ALOISIAE · AVSTRIADIS

DOCTORES · LYCEI · MAGNI · CVM · AVDITORIBVS · VNIVERSIS

PVBLICAE · LAETITIAE · PRAEEVNTES

CONVENTVM · MAXIMVM · LITTERARIVM · INDICIMVS

IN · DIEM · III · NON · MAIAS

M.

LXV. (Bononiae in aula maxima aedium Lycei magni)

NAPOLEONI · MAGNO

IMP · GALLORVM · REGI · ITALIAE

ET · MARIAE · ALOISIAE

IMP · FRANCISCI · F ·

MAXIMIS · POTENTISSIMISQ · PRINCIPIBVS

QVOD

AD · PERPETVITATEM DOMVS · AVGVSTAE

ET · IMPERII

SOBOLE · AVSPICATISSIMA

AVCTI · SINT

DOCTORES · ARCHIGYMNASII · BONONIENSIS

FAVSTA · OMNIA · SALVTARIAQVE · OMINANTES

GRATVLANTVR

S.

LXVI · (Bononiae in aula maxima aedium Lycei magni)

OPTATA · PROLE · SVSCEPTA

COMPOS · FACTVS · VOTORVM

NAPOLEO

COMPOS · VOTORVM · ET · ORBIS

DEVOTVS · IMPERIO

MAIESTATIQVE · EIVS

S.

LXVII · (ibidem)

QVOT · SVNT

ET · QVOT · FVERE

GENETRICES · AVGVSTAS

MARIA · ALOISIA

LONGE · VNA · OMNES

FELICITATE · ANTECELLIT

S.

LXVIII · (Bononiae in aula maxima aedium Lycei magni)

AVE · ET · SALVE

MAGNI

PROGENIES · INCLITA

CRESCAS · ANNOSQ · VIRTVTE · ANTEVERTAS

SPES · O · CERTISSIMA

INGENTIVM · POPVLORVM

S

LXVIIII · (ibidem)

ADCLAMANT

GESTIVNTQVE · LAETITIA

GALLIAE · ET · ITALIA

PIGNORE · ACCEPTO

SECVRITATIS

NON · PERITVRAE

S.

LXX · (Bononiae in aula maxima aedium Lycei magni)

VOVENT · SE

PARENTI · MAXIMO

VOVENTQVE · SE

FILIO · AVGVSTO

EXERCITVS · FORTISSIMI · FIDELISSIMI

PRODIGI · ANIMARVM

S.

LXXI · (Bononiae)

OB · NATALEM · FAVSTVM · FELICEM

REGIS · ROMAE

ACADEMIA · CONCORDIVM

GRATVLATIONIS · LAETITIAEQVE · CAVSSA

NVMERIS · HAYDNIANIS

CARMINA · MODVLATVR

S.

(1) Hanc inscriptionem exaraverat Morcellus, ut ea frons ornaretur Panegyrici C. Plinii iunioris ad Traianum Aug., quem regiis enimvero chartis splendidoque cultu editum Brixiana civitas anno M . DCCC . V . Napoleoni Magno obtulit; sed nescio qua de caussa, Morcelliano posthabito, alium titulum volumen illud prae se tulit.

(2) Propositi fuerunt hi Fasti Bononiae in templo Iacobi Apostoli v. id. Febr. anni M . DCCC . VI . quo die Deo Optimo Maximo sollemnia gratiarum a Doctoribus Archigymnasii soluta sunt ob pacem Germanicam et nuptias Eugenii Napoleonis Proregis Italiae cum Augusta Amalia Maximiliani Regis Bavariae filia : de quibus vide inscriptt. nn. XXXVII . et XXXVIII .

(3) Brixia hic loquens a Morcello inducitur : inscriptio enim incisa legebatur in summa ora basis statuae Brixiam armatam referentis, quae publicum eiusdem urbis viridarium decorabat.